destructa per penitentiam reedificatur. cum post peccati captiuitatem adseritatis libertatem reuertitur. Domus quoque dei est
ecclesia. que non in uno loco sed in omni terra liberata de captiuitate diaboli construitur ex lapidibus uiuis. et in unam
compagem caritatis glutino consolidatur. Huius domus fundamentum christus est. lapides sunt sancti inuicem semper caritate
subportantes usque ad nouissimum electum. qui quem sustineat non habebit. Cantate domino c. n. c. d. o. t. Nouum
domino canticum cantat. qui deposito uetere homine per gratiam baptismatis innouatur. Item canticum nouum dilectio est. Et
hoc est mandatum nouum. quod precepit dominus dicens. Mandatum nouum do uobis. ut uos inuicem diligatis. Hoc canticum pre
cipitur cantare omnis terra. quia in omni terra edificatur domus dei. Ipsum enim cantare. edificare est. Cantate domino.
et b. n. e. Nota quod tertia repetit cantate domino. ubi manifeste mysterium trinitatis agnoscitur. et tamen singulariter
dixit. benedicite nomini eius. ut unius substantie trinitas declaretur. Annuntiate de die in diem salutare eius. Quod dicit
de die in diem simpliciter. hoc est per singulos dies. id est omni tempore. Altiore sensu. duos dies. duo testamenta dicit.
que bene dies uocantur quia uere solis claritate resplendent per quas salutare dei. id est dominus christus. et predictus et ostensus est.
Legitur etiam annuntiate diem ex die. id est filium ex patre. lumen de lumine. Ipse quippe salutaris. id est nostre salutis
est auctor. Annuntiate in gentes gloriam eius. Non solis hebreis. sed et gentibus gloria domini nuntianda precipitur. Et ne for
te aliquas gentes putaremus exceptas. addidit. in omnibus populis mirabilia eius. quoniam magnus dominus et laudabilis nimis.
Ille qui propter nos paruulus et pauper apparuit. magnus est et laudabilis. Magnus quippe ad potestatem. laudabilis pertinet
ad clementiam. qua nos pretioso sanguine redemit. Addidit nimis. ut ostenderet non se posse uerbis expri me
re. quod sentiebat. ideoque nobis cogitandum dimisit. Terribilis est super omnes deos. Deos hic idola gentium dicit. qui mise
ri homines pro deo uenerabantur. Non ergo hominibus terribilis est. quos redimere uenerat. sed super deos id est demones. sub quibus
captiui tenebantur homines. Est ergo christus amabilis et laudabilis redemptis hominibus. terribilis autem demonibus quibus eterna sup
plicia preparauit. Quoniam omnes dii gentium demonia. Hic aperte indicat. quos dixerit deos. et diffiniuit quid sint dii
gentium. utique demonia. Demonia autem dicta. quasi daimonia. id est scientes omnia cum tamen nullis non sit uera
scientia. sed per substantie sue subtilitate et multiplici calliditate non numquam futura pronuntiant. Dominus autem celos
fecit. Celos fecisse dicitur. totius creature opifex. et dominus declaratur. In maioribus enim. minora comprehenduntur. Siue
celos dicit apostolos quos deus ad tantam perduxit gratiam ut eos ex hominibus deos faceret. eisque daret potestatem imperandi demo
nibus. Confessio et pulchritudo in conspectu eius. Apte primo posuit confessionem. deinde pulchritudinem. quia ne
mo in dei oculis erit pulcher. nisi qui per penitentiam et confessionem feditatem deposuerit peccatorum. Sanctimonia
et magnificentia in sanctificatione eius. Et hic ante ponitur sanctitas. deinde magnificentia. Qui ergo querit angelorum
dei magnificentiam. eisque uult similis esse in gloria. prius sectetur sanctimoniam. Unde apostolus. Pacem sectamini cum omnibus et
sanctimoniam. sine qua nemo uidebit deum. Quod uero sequitur in sanctificatione eius. Sanctificationem uocat beatam illam uo
cem. quam electi omnes audituri sunt. Uenite benedicti patris mei. percipite regnum. quod uobis paratum est ab origi
ne mundi. Illi enim semper magnifici et excelsi erunt. qui huius digni fuerint sublimari et sanctificari honore be
nedictionis. Afferte domino patrie gentium. afferte domino g. et h. Patrias gentium omne genus uocat hominum. non alienige
nam. non peregrinum excipiens. Domino inquit afferte gloriam non uobis. quia et apostoli qui uobis christum annuntiauerunt. non suam sed
eius gloriam quesierunt. Ipse quoque christus. patris gloriam in cunctis que egit quesiuit. Tunc autem gloriam domino affe
rimus. si nos laudabili conuersatione tractamus. et bona que facimus. christi gratie deputamus. Afferte domino gloriam
nomini eius. Gloriam nomini eius afferunt. qui patrem et filium et spiritum sanctum consubstantialem et coomnipotentem confitentur.
unum deum personis non natura aut operatione distantem. Tollite hostias. et i. i. a. e. Atria dei sunt apostoli. per quos ad dei
notitiam intrauimus. Si inquit uultis atria dei intrare nolite uenire uacui. Tollite hostias. cor uidelicet con
tritum et humiliatum. quia sacrificium deo spiritus contribulatus. Adorate dominum in atrio sancto eius. Non uacat quod supra atria
plurali numero posuit. hic singulariter dicit. in atrio sancto eius. Atrium enim dei est ecclesia catholica. ad quam per illa
superius posita atria peruenitur. Hec est et domus dei. que aucta uirtutum profectibus facta est atrium. et impleuit
totum mundum. Commoueatur a facie eius uniuersa terra. Terram uocat amatores seculi. qui amando terram.
iure dicuntur terra. Sane non dicit ante faciem sed a facie. quia tales a domini conspectu sunt repellendi. Potest hoc